8

CARMEN NVPTIALE

BONAVENTVRÆ RONDININI ROMANI

AD THALAMOS THADDAEI BARBERINI, ET ANNAE COLVMNAE.



Romæ, Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. 1627.

SVPERIORVM PERMISSV.

CARMEN NVPTIALE.

VNDARVM Princeps ò formosissime Tybri
Sacra Dionæa velatus tempora myrto
Surge vadis, famulæ visurus gaudia Romæ.
Iam vaga sed tardi rota temporis attulit orbi
Expectata diù Latiј connubia Regni.
En BARBERINO donabitur Alma VIRAGO
ANNA, COLVMNIADAS inter formosa PVELLAS.
Non ne vides, quantus Romana per oppida plausus
Æstuet, vt digitis expergefacta loquantur
Fila Lyræ: altisonis vt cantibus intonet Æther,
Montibus & septem vocis responset imago.

Ast ego decipior, qui connubialia sacro
Fœdera non credam Tybrim agnouisse sub alueo.
Nouit; & afflatus liquida dulcedine, Regem
Iuit ad æquoreum prænuncius ipse, LATINO
Ederet vt THALAMO Pelagi quoque Regia plausus.
Forte coronatis musco successerat antris
Tybris, & AVSONII facta immortalia PATRIS,
Et magnos tacita versabat mente triumphos.
Terrarum emeritas qualis tractaret habenas,
Et de Romuleo sanciret culmine leges:
Vt coniuratos in damna reciproca Reges,
Et consanguineas per prælia frangere gentes
Iusserit æterno coniungere fœdere dextras:
Vt templa antiquis iam collabentia saxis
In noua mutarit mansuro limine, & Vrbis
Non defecturo nunc aggere muniat Arcem:
Cum subitò plausus bibulas meditantis ad aures
Venit, Auentinæ quà surgunt ardua rupis,
Et Capitolino vicina Palatia Cliuo.
Assurgit vitreo TYBRIS miratus ab antro,
Et ferrugineum summa caput extulit vnda;
Plaudentum quà læta virùm vox impulit aures.
Ecce pharetratum volucrũ videt agmen Amorum,
(Circensis quà Roma dabat spectacula palmæ)
Ire triumphali summa ad Capitolia pompa.
Flammeus inuehitur media inter millia currus,

Cuius Amyclææ fræno seruire Volucres
Exultant, candore niues, & lilia longe
Vincentes, celerique Aquilonia flabra volatu:
Astat Amor medius, solio spectandus eburno,
Bellanti similis; castiget ahenea quamuis
Cassis nulla comas, nec fulguret ægide pectus
Horrendum Chalybum squamis, non hasta trabalis
Dextram oneret, laterique comes non excubet ensis.
Olli forma ferox, sed blanda ferocia, vultum
Nulla pererrabat nubes lanuginis, illum
Ipsa videbatur sibi delegisse voluptas
Pro sede, & viuis afflasse leporibus ora.
Fert gemino sydus consertum lumine, pennis
Vestitur tergum bicoloribus, inscia vestis
Corpora sunt, humeros crinale perambulat aurum,
Ludibrium Phœbo, placideque volantibus auris.
Cernitur auratis fœcunda pharetra sagittis
Ante pedes, quarum dignatur vulnere magnos
Confodisse Duces, in vilia corda sagittas
Exercere suas odit: sed dextra Columnam
Ferre videbatur, cuius sub vertice ternæ
Spectabantur APES *festiuas pandere pennas,*
Et BARBERINAE *formare insignia* GENTIS.
At Pennata cohors, geminato examine currum
Quæ præit, exultat vario indulgere labori.
Pars animat calamos, doctoque loquacia plectro

 Barbi-

Barbita, pars lituos; digitisque volantibus errat
Dulcisonæ per colla Chelys, pars aëre summo
Pensilis; ad numerum mouet obsequiosa choræas;
Pars sic inuicto Pæana laborat Amori
Quo percussa cauis respondet nubibus Echo.
Vicit io Bellator Amor, da serta merenti
Roma, subit Tarpeia suo dum limina curru.
Aspice, vt Heröum fortunatissima proles;
THADDAEVS casti prostratus Amoris ab ictu
Langueat, vt solidis religentur corda catenis.
Vicit io Bellator Amor, da serta merenti
Roma, subit Tarpeia suo dum limina curru.
Romuleas inter pulcherrima Heröinas
ANNA ministrauit speculam captiua, resedit
Qua iaculator Amor, dum tela potentia torsit;
Nimirum frontis fuit hæc speculator Ocellus.
Vicit io Bellator Amor, da serta merenti
Roma, subit Tarpeia suo dum limina curru.
ANNA dedit teneri glomerabile verticis aurum,
Quo formauit Amor digitis sua vincla magistris,
Et Iuueni nexu mansuro corda reuinxit.
Vicit io Bellator Amor, da serta merenti
Roma, subit Tarpeia suo dum limina curru.
O quantum in calida fornace liquescit Amoris
Cor. leuiora suis incendia pascit in antris
Ætna Gygantæis bustum non mobile membris.

Vicit

Vicit io Bellator Amor, da serta merenti
Roma, subit Tarpeia suo dum limina curru.
Non illi pugnator equus, non lucida currae
Tela, nec ardentes clypei, galeaue coruscis
Terribiles cristis: alio mens omnis oberrat,
Semper, & ardescit promissa Virgine pectus.
Vicit io Bellator Amor, da serta merenti
Roma, subit Tarpeia suo dum limina curru.
Non cordi nemora, aut turbas agitare volantum
Insidijs, equitumque manus in bella ferarum.
Ducere, non virides indagine cingere saltus,
Aut canibus montes, alio mens omnis oberrat.
Semper & ardescit promissa Virgine pectus.
Vicit io Bellator Amor, da serta merenti
Roma, subit Tarpeia suo dum limina curru:
Quem non sanguineo Mauors in puluere belli
Vincere iam potuit, dum tela nocentia campos
Cæde cruentabant Ligurum: dum Gallicus ardor
Triste videbatur bellum importare Latinis.
En sincerus Amor sub fræna potentia misit.
Vicit io Bellator Amor, da serta merenti
Roma, subit Tarpeia suo dum limina curru.
Ne pudeat vinci fortissime Ductor Amore.
Ipse renascentis domitor Tyrinthius Hydræ,
Expertus nostri sit quanta potentia Regis,
Formauit digitis mollissima fila supinis,

 Et vo-

Et volucri tortum versauit turbine fusum.
Ne pudeat vinci fortissime Ductor Amore.
Æacides Troiæ fatum, dum Scyria Virgo
Vrebat flamma iuuenilia corda potenti,
Aptauit niueo gemmata monilia collo,
Et picturato vestigia Syrmate duxit.
Ne pudeat vinci fortissime Ductor Amore;
Mollia dum pariter vincuntur corda Puellæ,
Non minus Hæc casti succensa Cupidinis igne
Liquitur, & cordis non occultare latebris
Tanta potest venas incendia lapsa sub imas.
Ne pudeat vinci fortissime Ductor Amore,
Mollia dum pariter vincuntur corda Puellæ.
Tu vero ante alias o felicissima Virgo
Limen adi, famulas & amati coniugis ædes:
Non illum seruire tibi dat purpura vultus,
Non fusus per membra nitor, sed nobile frontis
Imperium, sanctusque pudor, mens ardua cunctis
Apta ministerijs regalibus, aurea magni
Vis animi, ingeniumque ferax; & gratia linguæ.
O vna ante alias fortunatissima Virgo
Limen adi, famulas & amati Coniugis ædes.
Sordet Erythræi soboles pretiosa profundi
Gemma, vbi arenosis ignota moratur in aruis.
Non aliter Virgo, thalamo matura iugali,
Sordet, vbi tectis degit seruata paternis.

O vna

O vna ante alias fortunatiſsima Virgo
Limen adi, famulas & amati Coniugis ædes:
Candida ſi ſterili naſcantur lilia campo,
Nullius agricolæ ſtudio nutrita, nec imbre,
Protinus exangues demittunt arida vultus.
O vna ante alias fortunatiſsima Virgo
Limen adi, famulas & amati Coniugis ædes.
Sic Roſa vernantum Regina tenerrima florum,
Ni matutinis humectet roribus oſtrum,
Et gremio excipiat naſcentes hoſpita ſoles,
Cernitur in medijs palleſcere languida rhamnis.
O vna ante alias fortunatiſsima Virgo
Limen adi, famulas & amati Coniugis ædes.
Iungere felici noua iungere nupta Marito:
Nam coniurato tibi prodiga ſydera cœtu
Affore præmoſtrant veſtra de ſtirpe Nepotes,
Inſignes bello; nulli pietate ſecundos;
Maieſtate graues; blanda feritate timendos:
Qui veterum titulos; & grandia facta Parentum
Vincentes ſuperis ſcribent ſua nomina faſtis:
Iungere felici noua iungere nupta Marito.
Ecce ſerenato properat Concordia vultu,
Quæ permanſuris conſtriget corda catenis,
Arridensque ſuis afflabit amoribus ambos:
O alios inter fortunatiſsimus Heros,
O alias inter fortunatiſsima Virgo.

At tu

At tu parce Puer populo expectate Latino,
Ne foetae laedas obstantia viscera Matris:
Sed tibi cum cocco genitrix natura recessu
Formarit vultus, nostrae ad commercia lucis
Exibis: magno sit forma simillima Patri,
Et referat multum casta de Matre decoris.

Vicit io Bellator Amor, da serta merenti
Roma, subit Tarpeia suo dum limina curru.
Contemplatus erat tantae spectacula pompae
Tybris, & attonitas admorat cantibus aures.
Cum taciti vultu depromens gaudia cordis,
Effudit tales hilari de pectore voces.

Agnosco plausus. Salue o Regina dierum
Fortunata dies, quae gaudia tanta Latino,
Quamuis tarda, vehis populo, nunc aurea nobis
Saecla reflorescent meliori fusa metallo,
Virtutumque chorus patrijs delapsus ab astris
Gaudebit Latijs errare licentius oris.

At vos Heroes consortia candida vitae
Ducite, & optatos Romae proferte Nepotes,
Queis dilecta pedem praetendat ad oscula sacrum
VRBANVS gemini iustissimus Arbiter orbis.
Cernite iam studijs popularibus edita vobis
Gaudia, conceptis displosa tonitrua flammis
Accendunt zephyros, atque impete nubila frangunt.
Tympana dant sonitus, & cornibus aera recuruis

Miſta gemunt, paſsim diſcors Concordia vocum
Auditur, quæ ſeptenis ſub collibus Echo
Excitat, & ſuperæ certant terreſtribus oræ
Plauſibus, exultant flammantibus aſtra pyropis.
Lætatur furata nouos è Fratre nitores
Cynthia, quæ totum pleniſsima circinat orbem
Argento, varijs induta coloribus arcum
Explicat, & pingit Thaumantis Filia nubes.
Sol quoque dat plauſus, quamuis crinalia condat
Fulgura, nec campos rubicundus inauret apertos,
Ille adijt Diuûm ſtellata roſaria, feſtos
Non defecturo Thalamos vt flore coronet.
En etiam vobis ancillatura tenorem
Permutat Natura ſuum, non plumbeus Auſter,
Non Aquilo dominum verſabit in aëre currum:
At blande aſpirans genitabilis aura Fauoni
Expellet medio turgentia nubila cælo
In pluuias reſoluta leues, fœcunda marito
Rore ſuum Tellus gremium ambitioſa recludet
Vndique odorato veſtitum ſyrmate veris.
Totus inexpleta dulcedine fluctuat Orbis
Stelliferuſque polus, dant nulla ſed æquora plauſus
Argumenta ſui, liquida fortaſſe ſub aula
Nondum exultantis penetrauit nuncia Romæ
Fama, meis ibo tranſgreſſus curſibus Euros
Nuncius, vt noſtræ ſit fama pediſſequa vocis

Dixit

Dixit, & excuſsi per nubes ocyor alis
Fulminis æquorei ſubit Auguſtale Tyranni.
Regia conſurgit centum ſuffulta columnis,
Quas durum fingunt imitata corallia ſaxum:
Cui caſtigatos conchilia plurima muros
Componunt, teretiſque auro formata coronæ
Proiectura viret magnis intexta ſmaragdis:
Argento poſtes, hyacinthina ſaxa recurſu
Dædaleo exornant aſarota micantia, vitro
Aſſurgunt niueo lucentia tecta: Quirites
Cærulei hac peragunt cœtus, tum forte Senatus
Tecta frequentabat, medius Regnator Aquarum
Neptunus ſolio ſe ſe attollebat in alto.
Alga coërcebat crines, regale Tridentis
Pondus dextra gerit, populatis India gazis
Multo accendebat ſaturatam murice veſtem.
At circumfuſos numeroſa ſedilia Patres
Accipiunt. mediæ Tybris ſucceſserat aulæ,
Talia Cæruleo retulit cum verba Tyranno:
Rumpite nunc tandem importuna ſilentia cantu,
Barbitaque impulſo taciturna laceſsite plectro
Æquorei Proceres, Parcarum ſtamine fuſa
Aurea Romanis venerunt ſæcula regnis.
Iam BARBERINI *generoſus ſanguinis hæres*
THADDAEVS *thalami ſocialia fræna recepit,*
Iuncta Duci magni Soboles Auguſta COLVMNAE

ANNA redorditur Romæ tam fausta merenti
Tempora, Regali Iuuenum par nobile forma,
Par genere, atque animis, par pubescentibus annis.
Plura locuturum Ponti frœnator amicis
Aggreditur dictis. Cælo gratissime Tybri
Exoptata refers nostris connubia regnis,
Et dudum seros quæ sperauere per annos.
Nos BARBERINAS tranquilla per æquora Pinus
Duximus, externas victor cum scanderet Vrbes
FRANCISCVS, Latij referens mandata Parentis,
Veximus & magni naualia docta COLVMNAE
Cum premeret Superis Othomania vela secundis:
Sic cum magnanimo desponsa Virago Marito
Ancillatricem Pelagi nunc sentiat Aulam.
Ite mei Ciues, myrto viridante capillos
Nectite, & appositis læti discumbite mensis.
Neu pudeat citharæ trepidantia fila volucri
Pollicis attactu percurrere, cymbala molli
Sollicitare manu, parili discrimina vocum
Alternata sonent numero; sic prælia Pontus
Indicat proprijs gratanti plausibus Orbi.
Nec minus accelerei Nympharum exercitus omnis
Pandere anhelantes tanta ad Connubia dextras;
Muneribusque suis Thalamos cumulare pudicos.
Sardois Cloto nutrita corallia saxis
Quærat, odorato sub gurgite quicquid Hydaspes
Abscon-

Abscondit, Galatea ferat, scrutetur Erythram
Cymodoce, Spathale baccis exhauriat Indum.
Ægypti quicquid fœcundus Aquarius amne
Nilus alit, quicquid Myrrhæ sudator Orontes
Expuit, aut Ganges natiuo pallidus auro,
Nesæe Spioque legant, sed candida Doris
Artifici depingat acu, ornatura iugalem
Velamenta thorum, viuas reddentia formas.
Hic primū augusto ter Maximus ore Sacerdos
VRBANVS, triplici vittatus sydere crines,
Vaticana petat templa impellentia nubes,
Pandat vbi afflictis lustralia sæcula terris,
Et totum è cælo virtutum deuocet agmen.
Occurrant gemino terrarum è cardine gentes,
Poscentes veteris diuina piacula culpæ.
Cui prope FRANCISCVS Romanæ spiritus Vrbis
Inuectus celeri sedata per æquora puppi
Tendat Aquitanas cursum Legatus in Vrbes:
Inde Madritani subeat penetralia Regis,
Et teneram sacro excipiat de Fonte Puellam.
Circumstent gemini nectentes mutua Reges
Fœdera: pugnaces demittat Iberia turmas,
Et reuocet famulos pacata Lutetia ciues.
Submittat se se moderanti Romula Fratri
Sceptra Quirinali rutilans ANTONIVS ostro,
Quem iuxta Rhodius Miles fulgentibus armis

Septus